DE DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. MENS. MAII A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
MICHAEL OLTENDORF
DETMOLDENSIS.

OPPONENTIBUS:
DE CELIŃSKI, MED. ET CHIR. DR.
FREUDENREICH, MED. ET CHIR. DR.
ANDERSSEN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Quamvis prisca medicinae antiquitas morbum nostrum jam cognoverit, quippe quem saepius observaverim, dum studiorum causa clinicum Caritatis Berolinensis frequentabam, tamen ante Thomam Willis (1) auctor non exstitit, qui genuinam propriamque morbi indolem et naturam observaverit, quae certe in secernendo principio illo saccharino posita est, quod in urina exstat et simul emittitur. Verum enim vero morbum illum novum vix appellaveris, genus enim morbi veteribus tam bene cognitum erat, ut meo jure contendere ausim, rariorem tantum ejus observationem illos prohibuisse, quo minus speciem, diabeten mellitum dico, diligenter describerent. Morborum certe descriptioni, nisi

---

(1) Thom. Willis pharmaceut. rational. Sect. IV. c. 3. Oxon. 1674.

longa experientia in usum vocata, veteres nunquam fere incubuisse, inter omnes constat. Celsus (1) Aretaeus (2) et Galenus (3) hunc morbum nobis exponunt. Aretaeus inprimis more suo acuratam diabetae descriptionem addit. Galenus hunc se bis vidisse contendit, quod haud facile crediderim, quum symptoma pathognomonicum afferat, quod potus per renes non alienatus secernatur. Maimonides (4) raro tantum in terris occidentalibus diabeten vidisse, in Aegypto vicies saltem sese observasse dicit. Usque ad annum millesimum quingentesimum octogesimum primum nulla exinde observatio facta est.

Quo anno Franciscus de Burtis Italus, Marco Gatinaria(5) et Hieronymo Cardano(6) auctoribus, puellam diabete laborantem feliciter curasse dicitur. Post Thomam Willis multi

---

(1) De medicin. lib. IV. c. XX.

(2) De signis et causis diuturn. morbor. lib. II. c. II.

(3) De locis affect. lib. VI. c. 3. pag. 76. seq.

(4) Aphorismor. secund. doctrin. Hippocrat. et Galeni. (Bolon. 1489.) Sect. VIII.

(5) De curis aegritud. tot. corp. (Basil. 1537.)

(6) De rerum varietate. lib. VIII. c. 44.

exstiterunt auctores laudatissimi, qui de diabete scripserunt, tamen ex quo demum hisce novissimis temporibus Aug. Guilelm. de Stosch(1) monographiam excellentissimam conscripsit, lux huic morbo affulsit.

Diabetes (a διαβαίνω, confestim transeo) est perversa et alienata ex chylificatione anomala exorta urinae secretio, cujus quantitas valde aucta et principio saccharino est inquinata, una cum corporis tabe et colliquatione consecutivis comitata.

Quum vero diabetae initium saepissime nec a medico nec ab aegroto observaretur, scriptores nonnulli, inter quos P. Frank (2) nomino, hujus morbi prodromos exsistere negaverunt. Facillime certe prodromorum observatio praetermittitur, cum medicus atque aegrotus saepe inducantur, ut urinae secretionem initio creberrimam siti incedenti adscribant.

Symptomata, quae a plurimis auctoribus tamquam diabetae prodromi perhibentur, haec sunt: Languor, lassitudo, dolores trahentes in extremita-

---

(1) Versuch einer Pathologie und Therapie des Diabetes mellitus. Berlin 1828.

(2) Epitom. vol. V. p. 38. sqq.

tibus inferioribus, ructus acidi, vomitus, pyrosis, tussis sicca, dyspnoea, tumores glandularum et vasorum lymphaticorum, labii superioris (Reil)(1), exanthemata scrofulosa, saepe enuresis. Hi affectus generales nullam speciem propriam prae se ferentes per brevius aut longius temporis spatium durant, quos deinde symptomata morbi nostri principalia consequuntur. Praecipuum, idque pathognomonicum diabetae symptoma materia saccharina est in urina supra modum secreta, cujus quantitas semper fere illam cibi et potus excellit, imo ita augetur, ut vix credideris, quod antiquiores narrant medici, qui contendunt, nonnunquam majus lotii pondus quotidie, quum ipsius corporis secerni. Ita Knebel (2) casus quosdam insignes tradit, ex quibus illum apponam, ubi puella viginti quinque annorum, quam Funesca in cura habebat, ab aqua abhorrens quotidie tamen ducentas lotii libras mingebat; cujus rei multi non defuerunt testes. Nec non Barati (3) et Morgagni (4) exemplum

(1) Reil Fieberlehre Bd. 3. S. 511.

(2) Materialien zur theoret. und prakt. Heilkunde Bd. 1. S. 191 — 205.

(3) Caso proposito da B. Barati a L. Torti.

(4) De sedibus et causis morborum ep. XLI. art. 15.

in monacha Bononiensi observaverunt, quae intra dies nonaginta tres lotii quantitatem trium millium sexcentarum septuaginta quatuor librarum emittebat, siti immensa et aquae horrore incedente. Livizan (1) secundum Reil, casum observavit, ubi monacha duarum librarum victu quotidiano intra nonaginta septem dies quater mille centum septuaginta librarum urinam excrevit.

Petrus Frank (2) exemplum affert, ubi puella septem librarum victu quotidiano triginta sex lotii libras quotidie mingebat. Simul cum quantitate urinae qualitas quoque alienata deprehenditur, de qua infra mihi erit dicendum. Una cum urinae secretione aucta, interdum vero et postea, ore saepe adhuc humido aegroti siti gravantur. Knebel (3) sitis accerrimae affert exempla, ita casum a Zacuto (4) memoratum tradit de puero, qui per horam viginti potus, et de alio, qui quotidie nonaginta cerevisiae et aquae libras biberet. Ruisch (5) dolium cerevisiae semisse per

---

(1) l. c. 515.

(2) l. c. pag. 44.

(3) l. c. S. 228.

(4) Prax. med. admirand. II. 71.

(5) Observat. anatom. chirurg. 13.

hebdomadem bibentem vidit aegrotum. Depassis, ut Knebel (1) dicit, aegrotam in cura habuisse fertur, quae supra modum biberet, et nisi potus appetentiae satisfieret, in syncopen incideret. Nonnunquam id symptoma deest, vel postremis tantum morbi diebus incedit; illud exemplis, a Sylvatico (2) et Rubeo (3) narratis, comprobatur, hoc casu a Cawley (4) laudato, ubi in diebus tribus morbi ultimis sitis aegroto intolerabilis erat. Ceterum insigne quoddam symptoma est appetitus nimis auctus, nisi potius bulimum appellaveris, quem aegroti sentiunt, inprimis cibos ex farina paratos, panem, fructus solani tuberosi ardenter cupiunt. Interdum ructibus acidis pyrosique maxime laborant, atque calorem haudquaquam autem inflammatorium in ventriculo et abdomine sentiunt. Ipse Aretaeus (5) dicens »viscera ipsi (aegroti) sua conflagrare opinantur,« hoc symptoma laudat.

In ore quoque alienationes nonnullae incedunt.

---

(1) l. c. S. 228.

(2) Consil. et respons. medicinal. Centur. III. Cons. 41.

(3) Exercitat. in histor. med. XIII. pg. 174.

(4) London medical Journal 1788. p. 286.

(5) Diuturnor. II. c. 4.

Lingua saepe albam, nigram (1. 2. 3) et fulgentem prae se fert speciem, gingiva laxata, facile sanguinolenta. Wolff(4) e gingiva dentibus impressa succum flavum emanare vidit. Dentes relaxantur, et secundum Schoenlein inprimis canini et incisivi saepe excedunt.

Aliquoties gustus dulcis, secundum de Stosch a tonsillis renum consensu evocatus, saepe deglutitio difficilis, aurium sordes dulces, cutis arida iners, chartae pergamenae similis, ut Wolff et plurimi alii auctores e.g. Brandis (5), et (de Stosch autem non semper hoc symptoma sese vidisse) contendunt. Saepenumero exanthemata et cutis desquamationes exsistunt, quod Petrus Frank (6) his verbis memorat: «insignis ubique virium prostratio, cutis arida, plerumque squamosa, porrigo, hunc mor-

---

(1) Trnka de Krzowitz de Diabete commentarius. Vindobonae 1778. p. 45. Hollerium nominat, qui diabete laborantem lingua scabra, arida nigra vidit.

(2) Wolff, Horn's Archiv Bd. II. 1818. S. 494.

(3) de Stosch, l. c. 76.

(4) Wolff, l. c. 498.

(5) Brandis Versuch über Metastasen. S. 101.

(6) loc. cit. S. 44.

bum comitantur.» Interdum aegrotusse aquam gelidam per ureteres in vesicam defluentem sentire credit et dolores per urethram trahentes nec non in regione lumbali et inguinali incedunt. Praeputium fere semper excoriatum et tumefactum est. Appetitus veneris plane extinctus fertur, quod tamen ubique non adest. Nam octodecim circiter ante menses aegrotum diabete laborantem vidi Cunillum, Panormitanum, qui in horam, nisi fallor, ex Caritatis nosodochio in urbem demissus gonorrhoeam sibi conciliavit. Faeces odorem, ut de Stosch (1) contendit, faeculentum non praebent. At systema quoque sensibile est affectum. Aegroti morosi, pertinaces, languidi redduntur, nec non animi et memoriae virtus labefit. Sensuum organa labefiunt, praesertim oculorum acies obtunditur, nonnunquam enim amblyopia et amaurosis ingrediuntur. Somnus aegroti non raro siti vehementi et mictione plurima, quae inprimis incedit per noctem, interpellitur. Quibus symptomatibus apparentibus aegrotus macrescit, musculi evanescunt et relaxantur, ut vera maciei praebeatur imago, debilitas ab initio morbi semper crescit. Vox

---

(1) l. c. S. 57.

mutata, clangosa redditur. Febris appropinquat hectica et in colliquativam tandem transit. Morbo mox finito omnia diabetae symptomata interdum desiderantur, affectiones pectoris saepe tunc sequuntur, quae manifestam ostendunt phthisin, eamque vel pituitosam, ex irritatione tunicae bronchiorum continua, vel tuberculosam, ex secretione albuminis in pulmonum tunica cellulosa exortam.

De quantitate lotii in diabete secreti jam supra verba feci, nunc qualitatem exponam, quae in hoc certe morbo maximi est momenti, et diabetae mellito indidit nomen. Urina mox pellucida, limpida ex viridi flavescens, odoris et saporis dulcis a multis chemicis et medicis, quorum omnium nomina afferri superfluum puto, analysi est subjecta. Inter quos Cruikshank apud Rollo (1), Marabelli (2), John (3), Dupuytren et Thenard (4), Hermbstaedt (5), Vauquelin et Sega-

---

(1) Rollo. Abhandlung des diabetes mellitus, herausgegeben von Heidemann. Wien 1801. S. 531.

(2) Allgemeine Litteratur-Zeitung 1795. Nr. 151. S. 445.

(3) Chemische Untersuchungen etc. Berl. 1814. S. 38.

(4) Gehlen Journ. f. Chem. u. Physik. Bd. 6.

(5) Ueber den diabetischen Harn in den neueren Schriften der königl. Akademie zu Berlin.

las (1), **Berzelius** (2) excellunt, qui omnes etsi in analysi paulisper dissentiant in summa tamen consentiunt, nimirum in lotio diabete laborantis principium saccharinum deprehendi. De quo P. **Frank** (3) hunc in modum disseruit: «Hoc lotium ad ignem vapores suaveolentes exhalat, atque ad certam spissitudinem redactum melliformem, bruneam vel saccharinam atque ulteriori solutione, inspissatione, facile depurandam, et ad sacchari communis puritatem, saporem, colorem reducendam largitur materiam, vel sibi ipsi commissum fermentationem tum vinosam tum acidam subire observatur. Pulcherrimos acidi saccharini crystallos, alcohol, et acetum, hoc animali ex liquido parata conservamus, atque ex quattuor et viginti urinae libris viginti sex materiae saccharinae uncias obtinuimus, nec desunt, qui majorem istius quantitatem diabeticorum ex lotio deduxerint.» Loco saccharinae materiae nonnunquam syrupus remanet, ex

---

(1) Schweigger. Jahrbücher der Chemie und Physik. Band XIII.

(2) Lehrbuch der Chemie von Berzelius, übersetzt von F. Wöhler. Band IV. Abth. 1. S. 383.

(3) loc. cit.

quo saccharum in crystallis non potest produci. [Berzelius(1)]. Residuum illud saccharinum aqua solubile est, alcohol flavo colore tingit, uream continet nullam, nec acido sulphurico nec alcalibus mutatur, caret porro materia fibrina et extracto resinoso, hydrargyro nitrico in urina diabete laborantis, non ut in sano rosaceum, sed album efficitur sedimentum.

Pondus specificum Berzelius 1,059 deprehendit, ureamque eadem ratione evanescere contendit, qua saccharum augetur, semperque redire, simulatque principium saccharinum mutaretur. John (2) in triginta sex lotii diabete laborantis unciis octodecim drachmas et grana duo principii saccharini invenit. Verum enim vero non in urina tantum, sed in aliis secretionibus supra memoratis, veluti in sorde aurium et sputis, immo in sanguine principium illud saccharinum exsistere fertur. Ita Dr. Marshal fabri lignarii diabete defuncti cruorem odoris ex acido dulcis sese reperisse tradit.

---

(1) loc. cit. 384.

(2) l. c.

(3) Rollo 382.

Dobson (1) secundum Knebel (2) sanguinem quoque dulcem etsi minus quam urinam invenit. Nec ita Pet. Frank (3) de dulci sanguine tacet; itidem Michaelis (4) de odore sanguinis dulci verba facit.

Quodsi in morbis, qui saepius occurrunt, immo in morbis quotidianis causa proxima difficile describatur, quanto difficilius negotium in diabete erit, qui vel raro tantum observatur. Qua penitus adhuc non perspecta rationali curae modo gloriari non possumus, quin immo empirica tantum medendi methodo nos uti confiteamur necesse est.

Fallitur medicus, qui si aegrotum sanaverit, causam quoque morbi proximam se perspexisse putat. Ipsa suis natura arcanis nubila praetexuit, quae saeculorum series dissipabit. Ante de Stosch neminem exstitisse crediderim, qui claram proximam exposuerit causam morbumque nostrum nova luce donaverit. Cujus explicatione adjuti symptomatum seriem universam illustrare valemus et us-

(1) London medical. obs. angef. §. 15. bei Knebel.

(2) l. c. 190.

(3) l. c.

(4) Hufeland's Journal. Band XIV. 3. St. S. 366.

que ad causam proximam enucleare possumus. Antea quam vero explicationem causae proximae a de Stosch propositam perlustrabo, priorum auctorum praestantissimas opiniones recensere placet. Quidam causam proximam in vitiis et morbis systematis uropoetici positam opinabantur. Galenus (1) intemperiem renum calidam nominat, ex qua sanguis ad renes potius deducatur atque retineatur et consumatur. Alexander Tralles (2), Oribasius (3) et insequentes Galeni asseclae idem statuebant. Acrimoniam felleam renes purgare contendit Aretaeus (4), Boerhaave (5) et Burserius (6) causam proximam in renibus relaxatis quaerebant, Stoll (7) in laxitate viarum ab intestinis ad renes ducentium, Rich-

---

(1) De locis affect. lib. IV. c. 3.

(2) De corp. hum. part. vit. lib. IX. c. 8.

(3) Synops. ad Eustath. lib. IX. c. 35.

(4) Diuturn. morb. curat. lib. II. c. 2.

(5) Institutiones §. 824.

(6) Institutiones med. pract. pars I. tom. V. pag. 490.

(7) Ratio medendi tom. VI. sect. 1. §. 420.

ter (1) et Soemmering (2) in conditione spasmodica, Sydenham (3), Watt (4) et Willis (5) in discrasia sanguinis, Mead (6) in hepatis morbis bilisque secretae depravationibus, quibus et Nasse (7) assentit. Digestionem et chylifiationem anomalam Cullen (8), Dobson (9), Selle (10) pro causa proxima venditant. Tissot (11), Kratzenstein (12) resorptionem cutis auctam, Tommasini (13) et Pet. Frank (14) anomalam vaso-

---

(1) Medizinisch-chirurgische Bemerkungen Bd. I. Gött. 1753. 8. Kap. 4. S. 76.

(2) Patholog. morborum vasor. absorb. pag. 161.

(3) Epistol. responsor. §. 33.

(4) Cases of diabetes etc. Glasgow 1808.

(5) Pharmac. rational. 1. 1.

(6) Exposit. mechanica venenor. Tentam. I, p. 39.

(7) Horn's Archiv Bd. II. S. 546.

(8) Anfangsgründe etc. Bd. 3. S. 576.

(9) Medicina clinica. p. 526.

(10) London medical observat. Vol. V. Nr. 27.

(11) Im Schreiben an Haller über Pocken, Schlagfluss etc. Th. 6. S. 485.

(12) Theoria fluxus diabetici more geometrico explicata. Hall. 1746.

(13) Salzburger medizinisch-chirurgische Zeitung 1794. Bd. 4. S. 147.

(14) l. c. 53.

rum lymphaticorum conditionem, cui Knebel (1) quoque assentit. Darwin (2) retrogressionem humoris vasorum lymphaticorum accusat. Wolff (3) cutis actionem plane exstinctam una cum digestione depravata principia morbi insigniora putat.

Rollo (4) causam diabetae melliti proximam in ventriculi affectione morbosa positam putat, unde ex plantis principium saccharinum excoquatur et ut corpus alienum cito per renes secernatur; seu potius hunc morbum in aucta ventriculi functione consistere scribit una cum chyli secretione creberrima, qua principium saccharinum ex solutione ciborum praecipue plantarum exsistit, quod deinceps integrum in corpore remanet. Henke (5) totius systematis reproductivi morbum suspicatur. Reil (6) nullam superesse explicationem, si verum sit, ut major lotii copia secerneretur,

---

(1) l. c. 173.

(2) Knebel, Bd. 2. S. 161.

(3) l. c. S. 494.

(4) Rollo. S. 455.

(5) Henke, Handbuch der speciellen Pathologie. Bd. II. S. 288.

(6) Reil. l. c. S. 516 — 17.

quam assumtorum ciborum fuerit, nisi eam, quod resorptio cutis et pulmonum augeretur, persuasum sibi habet. Haase (1) diabetem mellitum e duplici momento, e chemico et dynamico derivat. Abnormi enim viscerum abdominalium functione, lienis praecipue et hepatis, hyperoxydatum intestinalem secerni succum credit, qui saccharum gigneret, renesque ad immensam stimulet secretionem. Perillustrissimus Hufeland (2) proximam diabetae causam his verbis communicat: specifica est immutatio chemici in renibus processus, quo e chylo, aliis urinam constituentibus principiis sublatis, gignitur saccharum. Qua immutatione cum principio saccharino in sanguine contento quaedam existit affinitas, qua principium illud, tamquam succus, quo alimur, sanguini aufertur. In monographia clarissimi de Stosch (3) ex causis physiologicis negotium expeditur. Digestione, assimilatione et reproductione physiologiae ope explicatis causa proxima in resorptionis venosae paralysi invenitur i. e. in paralysi, ut dicit, factoris negativi systematis

---

(1) Erkenntniss und Kur chronischer Krankheiten. Bd. 3. S. 279.

(2) Hufeland's Journal. Bd. LXV. St. 1. S. 39.

(3) l. c.

gangliorum, quatenus chylificationi est praepositum. Rationem enim resorptionis venosae et vasorum lymphaticorum hanc proponit de Stosch. Est systema vasorum lymphaticorum solum, quod materiam organismo externam admotam resorbet, quod et eam, quae organismi ratione aliqua est externa, tanquam exhalationis productum, quatenus nutriendo corpori inservire potest, in se recipit et in sanguinem album, ut ita dicam, convertit, dum systema venarum eas tantum materias vi resorptionis propria excipit, quae cum organismo nutriendo non valeant, excretionem celerem sibi vindicant, praesertim igitur hyperanimalisatas, excretioni destinatas, vel ad secretionem certam in corpore residentes materias, quarum in album sanguinem conversio vasis lymphaticis instaurata abs re foret. Ex systemate gangliorum nervi ad vasa vergunt, nimirum vegetativi, qui duos polos, alterum positivum systemati arteriarum praepositum, alterum negativum ad venarum systema pertinentem habent. Venae cum vasis lymphaticis et glandulis ita sunt conjunctae, ut quae illis aliena sunt recipiant, et tunc demum secernant, quam ob causam functio illa venarum secundaria appellatur. In ventriculo autem res aliter se habet, docente experientia, hanc

plus venarum, quam vasorum lymphaticorum continere, ibique celeriter resorberi humores, quarum minima pars cum chymo in intestina tenuia transit. In ventriculo igitur venosa resorptio primaria est appellanda. Celeriter enim et directa via résorpta in circulum sanguinis ducuntur et mox secerni possunt. At videamus, quomodo symptomata principalia diabetae nonnulla tractem. Principium saccharinum apparens et urea deficiens ex conditione resorptionis venosae paralytica gignitur; chylus enim venis non depuratur et crudus in sanguinem recipitur atque secernitur. Urea lotium deficiens in corpore vel in chymo ipso sparsa est, quum ureae secretio ad venosam pertineat resorptionem, quae labefactata jacet. Lotii copia ex positivi et negativi poli systematis gangliorum antagonismo, de quibus jam supra disserui, exoritur. Positivus reproducens arteriis vasisque eas comitantibus lymphaticis praepositus eadem ratione exaugetur, qua negativus venarum resorptioni praefectus labat, unde vasorum lymphaticorum nimis aucta resorptio, quae vel magnam partem ejus, quod reproductione laesa non exhalatur, calore imminuto in liquorem redactam resorbet. Sitis ex ammonio in corpore residuo membranamque oris mucosam irritante ex-

oritur, itidem ardor in praecordiis, qui vero ex plexus hypogastrici imprimis affecti cum plexu coeliaco consensu originem ducere potest. Frigor in extremitatibus inferioribus et regione inguinali ex caloris impedita evolutione exoritur, nisi stercoris in intestinis copia hunc effectum praebere contendas. Ex remanente materia excernenda, de qua jam supra verba feci, exanthemata atque illae in oris cavitate alienationes exsistunt. Quod symptomata sub finem morbi, in stadio colliquativo dispareant, vi systematis gangliorum in reproductionis actum sublata, qua nempe ex causa colliquatio fit, satis explicatur. Ita omnia symptomata ad causam proximam possunt reduci.

Sequitur, ut causas diabetae milliti remotas exponam.

Dispositio haereditaria saepe adest. Rondelet (1) patrem et filiam diabete laborantes vidit. P. Frank (2) fratres germanos et Leigth Thomas (3) tres fratres hoc morbo affectos memorant. In qualibet aetate morbus, praecipue autem in vi-

(1) Rondelet method. curand. morb. cap. 42.

(2) Epitom. Lib. V. 42.

(3) Rollo. 389.

rili occurrit. Rarior apud feminas, quam apud viros est. P. Frank et Schoenlein in feminis nunquam observarunt, ex quo hic diabetem hystericum, si de diabete in feminis sermo est, fuisse putabat. Ceterum plurimi auctores multa hujus morbi exempla in feminis observata in medium protulerunt. Diabetes debiles aeque ac fortes, pauperes et divites incedit. Reil (1) scrophulosi laborantes saepius huic morbo obnoxios fuisse contendit. Haase (2) ex theoria sua pauperes diabetae inprimis addicit, quippe qui cibos vegetabiles potius assumerent. Nec non vitae genus causam exhibere potest. Homines, qui admodum sedent, in regionibus humidis habitant [Michaelis (3), Wolff (4)] et constitutionem torpidam habent, quique pathemata animi deprimentia, e. g. tristitiam, iram et terrorem experti sunt, ut Jos. Frank (5), Trumphius (6), Wolff (7) multi-

(1) l. c. 537.

(2) l. c.

(3) Hufeland's Journal. Bd. XV. St. 3.

(4) l. c. 494.

(5) Ratio institut. clin. Liciniens. S. 210.

(6) Commerc. Noric. Tom. X. Anno 1740. pag. 92 sqq.

(7) l. c. 536. (496).

que alii auctores dicunt, diabete facile affici possunt. Hae supra memoratae affectiones obstructioni et sanguinis stagnationi diabetaeque viam muniunt. Ad infectionem pertinens, Reil (1) casum memorabilem suppeditat de aegroti diabete defuncti femina, juventute et valetudine optima gaudente, quae cum marito per dimidiam morbi partem uno in lecto dormiverat, mox autem pallescebat et macrescebat. Omnia denique diabetae symptomata in ea apparebant lotiumque evaporatum materiam illam saccharinam praebuit, tamen post maritum mortuum remediis roborantibus sanata est. Heim (2), cui Formey (3) et Hufeland (4) assentiunt, homines diabete laborantes, quos in cura habuerit ingenii acie insignes, caeterum scrutatores morosos fuisse contendit. Nusquam terrarum diabetes crebrius, quam in Scotia occurrit. [Finke(5)]; ita sae-

---

(1) l. c. 538.

(2) de Stosch. 92.

(3) Formey. Vermischte medizinische Schriften. Berlin 1821. S. 45 etc.

(4) Hufeland's Journal Bd. LXV. St. 1. S. 34. Versuche einer allgemeinen medizinischen praktischen Geographie. Bd. 2. S. 295.

(5) l. c.

pius in Aegypto, quam in Europa adesse dicitur [Maimonides (1)]. Quippe qui morbus ob aëris temperiem humidam calidamque transpirationem impedientem exoritur. Vitia organica, quod Horn (2), de Stosch (3), Venables (4), Pet. Frank observarunt, causam remotam praebere possunt. Aromata, remedia drastica, diuretica, potus calidi, veluti coffea et thea, occasionem quoque morbo nostro porrigunt, ita ut Boerhaave (5) credat, ex quo usus potuum horum creberrimus sit, eo diabetem saepius deprehendi. Narrat morbi historiam de juvene quodam, qui studiorum causa somnum thea et coffea repellere solebat et diabetem sibi comparabat.

Potus gelidus celeriter haustus [Marshal (6), Horn (7), Zipp (8)], aquae minerales [Trnka (9),

---

(1) l. c.

(2) Horns Archiv für mediz. Erfahrungen. Bd. XXII.

(3) l. c. 103.

(4) A practical treatise on Diabetes. London 1825.

(5) Praelectiones. Tom VI. pag. 213.

(6) Rollo 377.

(7) Horns Archiv. Bd. VI. Hft. 2.

(8) Hufelands Journal. Bd. LXV. St. 1. S. 8.

(9) l. c. §. 17. S. 36.

cerevisia acido carbonico [Nasse(1)] et vina acido tartarico ditissima, quae paullulum tantum principii tannici continent, praeterea secretio supra modum aucta, profluvia valde debilitantia, haemorrhagiae, excessus in venere causae occasionales observatae sunt. Febres intermittentes, hypochondriam et hysteriam diabetes secutus est. Per metastasin e. g. arthritide, exanthematibus, scabie, profluviis, ut leucorrhoea, suppressis diabetem saepe ortum fuisse traditur. Lapides et abscessus renum eadem vi gaudere perhibentur. De hisce ultimis observationibus multa a Trnka et Knebel collecta sunt exempla.

Morbus saepe cum aliis complicatus existit, veluti cum hydrope [J. Frank (2)], hydrophobia [Morgagni (3)], enuresi, ischuria et stranguria [Knebel (4)], obstructionibus viscerum [Borsierius], scorbuto [Bang(5)], morbis convulsivis [Willis(6)],

(1) Horn's Archiv 2. Bd. 1818. S. 548.

(2) Ratio inst. clin. Liciniens. p, 202.

(3) Trnka 23.

(4) Knebel Th. I. S. 214.

(5) Bang Act. societ. Hafniens. Vol. I. pag. 2.

(6) l. c. Tom. II. l. 1. §. 2.

paralysi et paresi [de Stosch (1)], ptyalismo [P. Frank], dysenteria, febre praecipue intermittente, et haemorrhoidibus.

Multis aliis morbis diabetes complicatus observatus, quos nominari mihi superfluum videtur.

Obductiones systematis praecipue chylopoetici morbum demonstrabant; glandulae meseraicae structuram et formam depravatam, hepar volumine auctum et durius, vasa portarum saepe dilatata nimisque impleta invenimus [Marshal(2), Duncan(3), Michaelis (4), de Stosch (5)]; Mends (6) hepar diabete defuncti structura steatomatosa reperit, quod ita explicat: oleosae, spissae haud satis assimilatae et digestae ciborum partes in hominibus torpidis hepati adhaerent. Renes lapidibus instructi et abscessibus correpti et exulcerati saepe adsunt, crebrius autem una cum ureteribus et vesica relaxati, interdum quoque volumine aucti ob-

(1) l. c. S. 56.

(2) l. c. S. 382.

(3) Leichenöffnungen in Samml. auserlesener Abhdl. Bd. XXVIII.

(4) l. c.

(5) l. c. S. 110.

(6) Knebel 93. (Tent. de Viper.)

servati sunt. Pott (1) ossa emollita deprehendit. Horn (2) cerebrum feminae diabete laborantis, cujus symptomata sub fine morbi disparuerant, quorum loco mox affectiones pectoris acutae incesserunt, quibus est defuncta, a dura matre avulsum, passim vacuum digito praebens, collapsum et tam durum, quam esse solet in typho defuncto, invenit. De Stosch (3) hydropem arachnoideae reperit, quo conjunctio inter membranas circumdantes et cerebrum erat abrupta. Substantia cinerea maximam partem resorpta erat.

Venables (4) membranas medullam spinalem circumdantes vasis sanguiferis valde impletas, medullam ipsam passim duram reperit, inter vertebram dorsi ultimam et lumbalem primam veluti cum cochleare particula desumpta videbatur, quo sub loco partes inflammatione erant affectae. Adeps fere semper nisi quibus colliquatione defunctis aderat [de Stosch]. Duncan (5) sympathicum et nervos splanchnicos volumine auctos reperit. Plu-

(1) Philos. transact. 1753. Nr. 459.

(2) Horn's Archiv. etc. Bd. XII.

(3) l. c. 103.

(4) l. l.

(5) l. c.

rima viridi colore a bile acidorum modo reagente effecto, in intestinis, quorum tunica mucosa a sanguinis stagnatione nigro est colore, contenta stercora, faeculento odore carentia multi observarunt auctores (1.2.) Vesicam felleam volumine auctam, lapides quoque continentem nonnulli se vidisse dicunt. Colore albo et pisi magnitudine lapides in pancreate apparuerunt [Cawley(3)]. Ventriculus saepe dilatatus reperiebatur de Stosch. Marshal(4) venas sanguine valde turgescentes vidit, qui odorem acido dulcem praebuerit. Musculi chocolatae calore simili erant, et venae subclaviae sanguis cum succo ductus thoracici erat mixtus. Dobson (5) serum limpidum, lacteum, sed cruorem reperit normalem, qui itidem dulcis, sed non adeo, quam urina erat. Michaelis (6) proprium moschi odorem in diabete defuncto animadvertebat. Sanguis odore dulcis, colore fuscus parum cum chylo erat mixtus, quem

---

(1) Fridr. Hoffmann suppl. Med. rat. system. de morb. infant. c. 11. Obs 111.

(2) de Stosch 58.

(3) Sammlung für prakt. Aerzte Bd. XIII. S. 115.

(4) l. c.

(5) l. c.

(6) l. c.

vero usque ad cor sequi licebat. Zipp (1) quoque dulcem invenit sanguinem. Nonnulli odorem cadaverinum deesse observavere. Jam antea verba de sanguinis dulcedine feci, hoc autem loco, quo de obductionibus agitur, dicta nonnullis adjectis reiterare superfluum non putavi. — Ex quo tempore morbis in systematibus medicis locus ex causa proxima assignatur, multi sedem suam mutaverunt. Antea diabetes quoque profluviis adnumerabatur, nunc vero causa proxima melius perspecta, in eo duntaxat, utrum diabetem morbis hecticis, an tabescentibus assignemus, dubium esse potest. Equidem tabi potius adscribam, quippe cujus natura in systematis nervorum ad actum reproductionis vi vitiosa et debilitata versatur.

Decursus diabetae chronicus, quod inter omnes constat auctores, attamen casus nonnulli acuti cogniti sunt (Rollo); saepe intermissiones incidunt, sed haud longum perdurant tempus et affectus vehementiores, quam antea redeunt.

Prognosis in universum mala, nisi pessima, sistenda, ex causis autem remotis, ex morbi stadio, ex lotii secreti copia et quantitate principii saccha-

---

(1) Hufeland's Journal. B. LXV. St. 1. S. 7.

rini, quod in eo continetur, nec non ex maciei gradu et ex aetate dependet; in pueris et senibus pejor, ac in aetate virili est. Causae praedisponentes in prognosi maximi sunt momenti: quo magis corpus debilitatum et secretio aliorum organorum est impedita, eo difficilior cura. —

Quantus est numerus diabetem describentium, tantus fere remediorum est, quippe cum ii medici, qui alii opinioni faverent, alia quoque medicamenta darent. Quorum tamen nullus causae proximae rationem bonam attulit, ideoque therapia illorum tam vaga et varia est, quam opiniones ipsae. Nonnullorum curandi methodum describere volo, nam omnes fere unicam suam laudant.

Rollo in duabus praecipue rebus curam positam esse contendit, quarum altera in generatione et evolutione principii sacharini in ventriculo tollendis, altera in actione ventriculi morbosa nimis aucta removenda et statu integro restituendo versatur. Priori indicationi satisfacimus, si victum animalem aegroto quiete fruenti praebemus, eumque ab omni vegetabili revocamus cibo, quae remedia kalinis et absorbentibus adjuvare possumus. Ne tamen cibi carnosi major quantitas aegrotis afferatur, quam qua famis compescatur. Quamdiu prin-

cipium saccharinum in lotio apparet, statum ventriculi morbosum adhuc non esse sublatum opineris, tunc ammon. sulphurat. una cum opiatis et antimonialibus vespertino tempore porrigatur. Quibus remediis efficitur, ut urina colorem accipiat rubrum, ejusque quantitas imminuatur, quae post evaporationem odorem ingratum, sedimentum salsum, quod tenax non est, reddit. Gingivae color ruber evanescit. Deinde panis eaeque, quae minus principii saccharini continent plantae possunt adhiberi et cum remediis amaris conjungantur. Pro potu una aquae calcis pars cum lactis duabus, aqua cum vitello ovi, aqua menthae piperitae addita, adhibentur, aut digestionis organis debilitatis aqua cum vino Indico et saccharo datur. Quotidie matutino tempore pingui aliquo corporis totius partes perfricantur, tunc indusiis laneis vestiuntur. Pro die solutione ex kali sulphurati drachmis duabus aut tribus et aquae communis mensuris duabus parata utitur aegrotus. His adhibitis principium saccharinum evanescit, sitis autem eximia et fames nec non lotium auctum remanent. Quo in stadio spiritus Beguini (liquor ammonii hydrothionici sulphurati) cum mucilagine aliqua, opio et antimonialibus in usum vocetur. Obstructiones alvi

Aloë, sapone, vel oleosis tolluntur, venaesectiones et vesicatoria in regiones renales applicata interdum adhiberi necesse est. Scorbuto imminente sub coelo motio requiritur. Robertus Watt (1) diabetem ex sanguinis dyscrasia oriri contendit, quae repetitis venaesectionibus mutari possit. Immo vero venaesectionibus repetitis crustam pleuriticam in sanguine sese vidisse dixit. Uni ex aegrotis per quatuordecim dies novem sanguinis libras venaesectionibus abstulit, eo modo se ejus vires auxisse eumque sanasse affirmat. Victum animalem parcum permisit, acorem organorum digestionis ammonio carbonico sustulit indusioque laneo corpus nudum tegi jussit.

P. Frank nec a pulvere Doweri, nec a tinctura cantharidum vel camphora martialibusque aut ab alumine ullam observavit efficaciam. Vesicatorio in os sacrum applicato unum ex discipulis duos sanasse aegrotos dicit. Quum urinae multitudo eximia non adesset, asam foetidam, extractum myrrhae cum valeriana, successu optimo praebuit. Cupri ammoniati granum dimidium usque ad unum quotidie cum diaeta corroborante adhibitum valetu-

(1) Cases of diabetes etc. Glasgow 1808.

dinem restituit. Vinum sitim optime compescere affirmat. Praeterea commendat aquam communem cum spiritu vini mixtam, qua Zipp et, nisi fallor, Krukenberg usus est. Laconica commendantur et mercurialia, quae, ut ptyalismum efficerent, a Scott adhibita sunt. Wolff functionis cutis restituendae et digestionis organorum anomaliae tollendae operam dedit. Frictiones aromaticas siccas et laconica nec non pillulas ex asa foetida, felli tauri, ammonio carbonico pyroleoso una cum oleo valerianae, ante cubitum autem pulverem Doweri cum ammonio carbonico commendat. Quum aegrotus melior se haberet, tinctura chinae compositae cum tinctura cantharidum ad guttas quinque, et mox deinde china in substantia cum pulvere cinammomi porriguntur. Pro cibo caro tosta, sago cum vino rubro, oryza, ova molliter elixa, jura carnis, panis albus, pro potu vero aqua cornu cervi, decoctum panis albi, aqua florum tiliae, aqua menthae piperitae, omnia autem cum vino rubro optimo adhibenda sunt.

Tommasini(2) contrastimulo deditus, opium,

---

(1) l. c. 500 — 501.

(2) Froriep's Notizen.

quod a plurimis auctoribus veluti perillustissimo Hufeland, inter omnia hoc in morbo adhibita remedia maxime laudatur, tanta in dosi porrexit, ut vix credideris, cum de octoginta granis uno die datis legeris. Primo curae die cum granis quatuor incipiens, decimo tertio die dosi sensim sensimque aucta octoginta adhibuit grana. Ex eo tempore quotidie fere dosis imminuta, interdum vero statu aegroti postulante, aucta est. Eo modo intra triginta sex dierum spatium septingenti nonaginta quinque opii grana sumsit aegrotus sanatusque dimissus est.— Omnium, quos memoravi auctorum therapia multis in partibus consentit, in plurimis autem dissentit, quod nemo eorum causam proximam satis cognoverit. De Stosch primus est, qui therapiam rationalem tradit, quod primus erat, qui causam proximam praeclare exposuit. —

Therapia generalis in causa proxima supra memorata nititur. Status paralyticus in parte centrali systematis gangliorum tollatur. Remedia excitantia praecipue, quae in systema gangliorum specificum habent effectum et venarum resorptionem adjuvant, e. g. phosphorus, ammonium, olea empyreumatica, Gummata ferulacea, myrrha, oleum terebinthinae, acria imprimis amara, cantharides,

helleborus niger, aloë, rheum, narcotica resolventia, belladonna et aqua laurocerasi magna in dosi sunt adhibenda. Ut simul systema gangliorum periphericum irritetur et via indirecta centrales ejus partes excitentur, frictiones plurimae cutis siccae cum panno laneo, vapores aromatici, lavationes spirituosae et balnea tepida in usum vocentur. Venosa ex causa supra exposita vitiosa resorptio, qua retentiones exoriuntur, emeticis et laxantibus tollenda est. Tabes ex momentis antea memoratis exorta removeatur. Diaeta nutriens, roborans, animalis, quae facile digeratur, caro tenera, bene tosta, lac asinae, aqua communis cum vitello ovi pauxillo vini addito, vina optima, motus et ambulatio sub coelo sicco concedantur, vicissitudo temperiei vitanda est. Somnus commodis horis rite comparetur, nec animi hilaritas ab aegroto unquam recedat. Remedia destonica nervina, quassiam, chinam, martialia una cum excitantibus et volatilibus, aquam martialem cum lacte mistam pro potu porrigas. His indicationibus therapia specialis respectu naturae causae remotae habito, accomodanda est, et ex remediorum diversis classibus ea eligenda sunt, quae propria casus indoles sibi flagitat. Ex qua ratione de iis quoque medicamentis, quae nuper proposita

sunt, veluti urea a Francogallis commendata judicabis. Nostro quoque in morbo omnia ad unum exemplar diu a medicis instaurabantur, quos studium remedii specifici inveniendi vexabat, tamen semper in diabete ut in omnibus aliis morbis individua cujuscunque morbi natura spectanda erit, quippe quae una cum proximae causae cognitione solam sanandi regulam exhibeat et viam rectam demonstret, qua ingressi cum valetudini singulorum tum universi generis humani saluti optime consulamus.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum ego Michael Oltendorf Detmoldiae anno MDCCCIX patre Meiero Oltendorf, cujus praematuram mortem valde lugeo, matre e gente Mathiae, quam incolumen mihi servet Deus et fidei veteri sum addictus.

Gymnasium urbis patriae per quinque frequentavi annos. Maturitatis testimonio instructus anno MDCCCXXIX Berolinum me contuli, ubi Ill. Klenze, t. t. Rectore magnifico, in numerum civium academicorum receptus et ab Ill. Bartels, medicorum ordinis t. t. decano, medicinae studiosis adscriptus sum. Ex quo inde tempore, anni dimidii spatio excepto, quo cholera patriae minante ibi commoratus sum, hisce scholis interfui.

Beat. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani, de organis sensuum et de physiologia audivi. Beat. Knape de osteologia et syndesmologia, uterque cadavera rite dissecandi artem me docuerunt. Ill. Mitscherlich de chemia anorganica et zoochemia. Ill. Hermbstaedt de physica universali. Ill. Link de botanice et toxicologia, nec non de historia naturali, Ill. Wiegmann de zoologia. Ill. Brandt de pharmacologia una cum materia medica, Ill. Hecker de pathologia speciali et de medicinae historia, Ill. Horn de therapia speciali et de morbis syphiliticis, Ill. Casper de morbis infantium. Ill. Busch de arte obstetricia, Ill. Rust de chirurgia universali et speciali, Ill. Kluge de fracturis et luxationibus. Ill. Angelstein in oculorum operationibus, Ill. Schlemm in operationum in cadavere exercitationibus me instituerunt.

Praeterea institutionibus clinicis et medicis et chirurgicis Nobilissimi de Graefe, Ill. Rust, Ill. Wolff, Ill. Busch, Ill. Barez interfui.

Tentaminibus et rigoroso examine coram gratiosa medicorum facultate rite absolutis, fore spero, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi honores in medicina et chirurgia in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Morbus occultus non existit.

II.

Cura hydroceles injectione radicalis est.

III.

Amputatio, quam vulnera indicant, protinus post laesionem est instituenda.

IV.

Febris nil nisi symptoma est.

V.

Mercurius in morbis syphiliticis remedium non est specificum.